



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum  
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

**Kolb, Gregor**

**Rottwilae, 1725**

**VD18 12054054**

XXXIII. Wilbertus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

Carmen hoc, tametsi vel seculorum multorum injuriâ vitiatum, vel delicatis hisce seculis vix bene probatum, apponere tamen libuit, ut quantus fuerit Episcopus Sidonius, ex testimonio simul Historici & Poetæ antiquissimi colligere liceat.

XXXIII. Wilbertus, de an. Sedis non constat. sub Benedicto I. & Pelagio II.

XXXIV. LVDEGASTVS.

**L**Udegastus, alii dictus Lindegastus, sub Gregorio M. Moguntia mitrâ est exornatus. Eadem ferè ætate Theodoricus & Theodebertus in Austrasia fratres regij, armis sese mutuis aggressi, in Tullensibus denique campis pugnam conseruere: ea enim ex pugna victum ac fugitivum fratrem Theodebertum persecuturus Theodoricus ad Ludegastum Episcopum pervenit, ubi nova consilia intellexit, quibus ad constantiam animatus Theodoricus fratrem amplius est persecutus. Brevissimo hoc compendio laudat Ludegastum Trithemius, vocans eundem *magnarum virtutum in Christo virum*. Sedit an 8.

Reflexio Supra Seculum VI.

**H**Actenus Hübnerum Seriem Antistitum Moguntinorum unâ mecum scribentem in majoris momenti capite refragari mihi vix inveni, quod magni beneficij loco habendum censeo. Id solùm encomio dignum haud judico factum, quo DD. Maximi & Aurei insignes virtutes angusto admodum compendio constrinxit, cùm res alias levissimas multis ambagibus non cessavit prosequi. Id etiam captu difficillimum hoc Seculo visum est in Hübneriano tomulo VII. pag. 15. ubi author hunc in modum scripsit: an: 525. *Moguntia magna sui parte est restituta, cui restituendæ Dagobertus Francorum Rex primus hujus nominis operam suam contribuit.* Enim vero huic VII. multum adversatur tomul. II. & tabula ex Genealogicis 49. quibus in paginis Dagobertus I. Clotarj filius vix